



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Tertium

González Téllez, Emanuel

Francofurti Ad Moenum, 1690

Caput XVI. (a) Idem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74526](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74526)

CAPUT XVI.

(a) Idem.

DE jure verò patronatus in præscripta capella, hoc tuæ discretioni mandamus, ut si prædictus R. ipsum comparavit, cùm inconueniens sit, & penitus inhonestum vendi jus (b) patronatus, contractum illum sub. ap. rem. irritum denuncies manere, ipsumque Apostolica auctoritate fretus non differas revocare.

NOTÆ.

1. (a) *[Dem.]* In prima collectione, sub hoc titulo cap. 20. ita legitur; & post Concilium Lateran. p. 15. cap. 17. tantum legitur *Idem*: sed in eadem appendice, p. 47. cap. 1. legitur ut in præfenti à Raymundo transcribitur: & forsàn ad eandem causam spectat textus in cap. ad aures 19. hoc tit. in eadem collectione, ubi sub eadem inscriptione hæc verba leguntur: [Ad aures nostras petenit, quod Robertus, & W. de Crotona jus patronatus Ecclesiæ emere non dubitavit, & Canonicis de Stodeleja tantas molestias intulit, persecutiones, & gravamina, quod metu, & dolo illius seducti, juri suo penitus renunciaverunt. Unde quoniam cùm jus patronatus connexum sit spirituali, nemini licitum

est vendere illud, d. t. p. A. f. m. quat. utraque parte ante convocata, rei veritatem diligentius inquiras, & si ita esse inveneris, prædicto R. super patronatu Ecclesiæ, oc. & ap. rem. perpetuum silentium imponas, & prædictis Canonicis jus, quod ibi habebant, si Prior eorum metu capitis, quod idem R. se abscissurum fide, ut fertur, firmavit, eidem renunciaverit, integrè facias restitui, non obstantibus literis nostris (si quæ sunt) tacitâ veritate impetrata.] De Cantuariensi Metropoli nonnulla notavi in cap. ... de rescriptis.

(b) *[Jus patronatus.]* Primo & principaliter, quia est spiritualibus annexum, cap. quanto 3. de judic. Lotharius de re benef. lib. 2. cap. 9. Simul tamen cùm universitate bonorum alienari valet, ut probavi supra in cap. 1.

CAPUT XVII.

(a) Idem.

NULLUS laicus (b) decimas, aut (c) Ecclesias, aut quidquid ecclesiastici juris est, sine concessione sui Pont. nec monasteriis, nec canonicis offerat: & si quis Episcopus improbitatis, & (d) avaritiæ causa consentire noluit, Romano (e) Pontifici nunciatur, & quod offerendum est, tunc de licentia ejus offeratur.

NOTÆ.

1. (a) *[Dem.]* Nec in prima collectione, ubi sub hoc tit. cap. 21. reperitur hic textus; nec post Concilium Lateran. p. 15. cap. 18. exprimitur Prælatus, cui rescribat Pontifex. forsàn legem generalem condere in præfenti voluit, & ita non ab aliquo Prælato consultus, sed motu proprio præsentem edidit constitutionem.

2. (b) *[Decimas.]* Juxta tradita in cap. ad Apostolicam, de his quæ sunt à Prælato.

(c) *[Ecclesias.]* Id est beneficia ipsa, seu Ecclesias, ad proprietatem, non verò jus patronatus; quia illud sine Episcopi consensu locis religiosis donari potest, cap. illud 8. hoc tit. ubi textum hunc exposui.

(d) *[Avaritiæ causa.]* Forsàn petendo redem-

ptionem, seu pensationem. Idem quibus egi in Capite 1. de capellis monachorum.

(e) *[Romano Pontifici.]* Sed quare non est adeundus Metropolitanus immediatus superior, ut consensum illum præstet, vel Episcopum illum præstare cogat? Variè satis aciunt Doctores congetti à Barbofa hic, sed placet sententia Sebastiani Cæsaris de Ecclesiæ hierarch. dist. 5. §. 2. num. 21. quem suppresso nomine sequitur Barbofa in præfenti, videlicet, quod cùm consensus Episcopi in præfenti desideretur pro solemnitate ipsius actus, ex cap. consultationibus, de donat. non potest suppleri per Metropolitanum, sed tantum per ipsum Summum Pontificem, ut probat doctè ipse Barbofa: poterat tamen Archiepiscopus cogere ipsum Episcopum, ut consensum præstaret.

CAPUT XVIII.

(a) Idem.

Significasti. Et infra: Cæterum si Episcopi post promotionem suam præsentationes personarum ad Ecclesias à patronis earum pro Ecclesiis sibi commissis adepti fuerint, personæ idoneæ, quas ad eas vacantes repræsentaverint, sunt admittendæ.

Uuu 4

NOTÆ